



**P**ardamus ex nobili familia Knesebeck in ditio-  
ne Lunenburgensi natus fuit. Is à pueritia opti-  
mè educatus eruditione & pietate insignis extitit.  
Itaq; cum Ratzenburgensis ecclesia suo episcopo  
destitueretur, in eius loci præfulem omnium con-  
sensu electus est. Eam functionem ipse magna lau-  
de administravit, atq; ecclesiæ prædia, quæ ære alie-  
no oppignorata erant, egregiè recuperavit. Cum  
etiam tot & tantos sumptus ferre uix posset, ad pre-  
ces conuersus, tandem à Deo impetrauit, ut Episco-  
patus Ratzenburgensis ad pristinum suum nitore  
redierit. In primis autem regnum Dei quæsi-  
uit, spe plenus cetera omnia magna abundantia ad

futura. Hinc factum ut Pardamus ob rerum prudentiam & uitæ frugalitatem  
in magna apud omnes alios episcopos autoritate fuerit, anno 1410. Cum hoc  
modo piè præfesset tandem obiit, atq; in sua ecclesia sepultus quiescit, eo tem-  
pore cum Sigismundus Imperator rebus præfesset. Crantz. lib. 11. cap. 15. Ut  
autem huius ecclesiæ præfules cognoscamus eos ordine subiiciendos censui,